

310.

Landgraf Ludwig schliesst mit dem Kloster Pforte einen Tausch dahin ab, daß er diesem 3 Hufen in Henschleben und 3 Hufen in Vehra überläßt, wofür das Kloster 2 Hufen in Berka, eine in Schwabsdorf und eine in Daasdorf abtritt. Das Kloster bezahlt außerdem noch 81 Mark und rechnet als zurückbezahlt dem Landgrafen die 141 Mark an, welche dessen Vater dem Kloster 5 schuldete.

1223 März 31.

Hdschr.: Kop. Perg. Dipl. Portense (Saec. XIII) fol. 37^a und Transsumptbuch (Saec. XVI) fol. 144^b. Bibliothek der Landesschule Pforta. Phot. H. St. A.

Geogr.: Böhme, Urkundenb. des Kl. Pforte 116.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ludewicus Thuringie lantgravius et 10
Saxonic comes palatinus. Quoniam fragile hominis ingenium ad rerum turbas non^{a)} sufficit,
ideo plerumque contingit, ut ea, que geruntur ab hominibus, de facili in oblivionem ver-
tantur, nisi^{b)} ad successionis memoriam supervictura scriptorum serie protelentur. Ad
cuius rei cautelam presentis littere testimonio declaramus, quod nos tres mansos in
Hentsusleiben tytulo proprietatis a nobis et a progenitoribus nostris possessos, vacantes 15
et annuatim^{c)} nobis pensionem solventes et item tres alios in Ver, quos a nobis habebant
in feodo Heinricus et Guntherus comites de Swarcburch et ab ipsis quidam alii,
quos ab illis, qui de ipsis per nos inbeneficiati fuerant, redemimus et in manus nostras
legittime sunt resignati, hos tres et predictos in Hentsusleiben liberos ab omni inpeticione
et onere de consensu heredum nostrorum ecclesie Portensi contulimus; in quorum per- 20
mutationem eadem ecclesia dedit nobis quatuor mansos, duos videlicet in Berka, unum in
Suavirstorp et unum in Tusdorff, addens insuper nobis lxxxj marcas et accepto ferens
nobis e marcas, in quibus pater noster pie memorie eidem ecclesie tenebatur sub fide-
iussoria cautione, et item xli, in quibus sine cautione fuerat obligatus. Mittentes itaque
iam dictam ecclesiam in possessionem bonorum eorundem auctoritate nostra precipimus, 25
ne quis eam in eisdem aliquatenus inquietare presumat, renunciantes tam in hiis quam
in aliis bonis ab eadem ecclesia habitis vel habendis in Ver et in Hentsusleiben peti-
cionibus, exactionibus, angariis aliisque serviciis, quocumque nomine censeantur, omni
postremo iuri, quod nobis debetur vel iure communi vel consuetudine provincie speciali.
Igitur ut hoc factum nulla unquam temporum vetustate abolendum perpetua stabilitate 30
subsistat, nos presentem cautionis paginam exinde conscriptam sigilli nostri inpressione
muniri et ydoncorum testium subscriptione fecimus roborari, quorum nomina sunt hec:
Heinricus comes de Swarcburg. Albertus comes de Clettenbere. Theodericus comes
de Honstein. Ludewicus de Wagehem^{d)}. Rudolfus pincerna de Varila. Heinricus notarius
et plures alii de ministerialibus nostris. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini 35
m. cc. xxiii., indictione xi., pridie kal. aprilis, regnante Friderico invictissimo Romanorum
imperatore et semper augusto.

310. a) nec Transsumpt. b) nec T. c) annuatim T. d) Wangenheim T.